



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Dn. Conradi Clingii Theologi Et Ecclesiastae Celeberrimi
(dum vixit) apud Erphordiam Turingiæ, Catechismus
Catholicus, summam Christianæ institutionis III. libris
succinctim complectens**

Klinge, Konrad

Coloniae, 1570

VD16 K 1309

1. Quis sit verus haereticus dicendus.

urn:nbn:de:hbz:466:1-29452

Dignus est mercenarius mercede. non dicit, Dignus est desidiosus sacerdos censibus vel mercede, &c. Dicitur Actor, 20. Attendite vobis & vniuerso gregi in quo posuit vos Spiritus sanctus Episcopos &c. Videant ergo Episcopi, quomodo desiderent Episcopatum, & quomodo ei præsent &c.

CAPVT XVIII.

ARGVMENTA.

1. *Quis sit verus hereticus dicendus.*
2. *Quare Deus permittit hæreses fieri per delictes sermones.*
3. *Quomodo sit vitandus hereticus.*



1.

Hereticus est, qui temporalis commo-
di gratia, aut fauoris hominum vel vo-
luptatis siue inuidia, falsas fingit de scri-
ptura glossas, easque defendit pertina-
citer, & facit sibi adherentiam in popu-
lo: hæ causæ potissimum faciunt hæreticum. Sic Ari-
us inuidia contra clerum effinxit nouam interpre-
tationem, & à catholico intellectu alienam, super il-
lud Ioan. 14. Pater maior me est. Sic Zuinglius in-
terpretatur verba Christi, Hoc est corpus meum, id
est, figura corporis mei. Sic Anabaptista ille Balta-
zar Hiebmeier affinxit nouam glossam verbis Chri-
sti, vbi dicit Marci ultimo: Qui crediderit, scilicet pri-
mo, & baptizatus fuerit. Sic Vualdo dixit super illa
verba 1. Petr. secundo. Vos omnes (scilicet baptizati)
estis regale sacerdotium, id est, omnes Christiani sunt
sacerdotes. idem fit apud alios Hæreticos, qui pro-
pria scientia inflati, segregant se à communi Eccle-
sia: Quare Apostolus eos vocat sectas Galat. quinto,
& sic temper peculiarem sectantur opinionem de scri-
pturæ intellectu, quem temerè defendunt: idcò hæ-
retis

refis Græcè, electio Latinè dicitur, quia tales sibi eligunt singularem scripturæ intellectum: & hæc glossa facit eos hæreticos, non scriptura: nulli hæreticorum deest scriptura, sed catholicus intellectus. Tales vocat etiam Apostolus Philipp. primo, canes, eo quia latrant contra veritatem ex ira & invidia: malos operarios, quia sunt destructores honestæ vitæ, & divisores Christiani populi, & sunt quasi vlcus pestilitatis quod hominem interficit: ita ipsi per contagionem lædunt vnitatem.

Secundò, sunt plures causæ quare Deus permittat hereses & schismata: primò, vt probentur electi, sicut dicit Apostolus 1. Corin. 11. Oportet esse hereses, vt hi qui probari sunt, manifesti fiant. Sic etiam docuit Moyses populum Deut. 13 inquiring: Si surrexerit in medio tui propheta &c. non audies verba illius, quia tētat vos Dominus Deus vester, vt palàm fiat, vtrū diligatis eum in toto corde vestro & in tota anima vestra, &c. Ergò qui rectè Deum timent & diligunt, non segregant se ab Ecclesia: porrò permittit Deus hereses ad firmiùs credēdum verbis Christi & ipsius Evangelio, quando videmus sic euenire, sicut Christus & sancti Dei homines prædixerunt. nam Christus prædixit futuros pseudoprophetas Matth. 24. & constantibus in fide promittit beatitudinem: & Apostolus dicit nouissimis temporibus fieri discessionem à fide, 1. Timoth. 4. & in 2. Timot. 3. & capit. 4. prædicit futuros doctores, qui prurientibus auribus dicturi sunt placentia, & facient apud homines contemptum sanæ doctrinæ, & Romanor. 16. iubet declinare qui per dulces sermones seducunt corda simplicium, non Christo, sed ventri suo seruientes. per dulces autem sermones intelliguntur omnia, quæ mundanis placent, vt sunt detractio clericorum, contemptus excommunicationis, licentia vel libertas faciendi quid velint contra disciplinam Ecclesiæ, & similia.

EE ; Deindè